

In illo témpore: Dixit Iesus discíplis suis:

- ³² «Noli timére, pusíllus grex,
quia complácuít Patri vestro dare vobis regnum.
- ³³ Véndite, quæ possidétis, et date eleemósynam.
Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt,
thesáurum non deficiéntem in cælis,
quo fur non apprópiat,
neque tínea corrúmpit;
- ³⁴ ubi enim thesáurus vester est,
ibi et cor vestrum erit.
- ³⁵ Sint lumbi vestri præcíncti
et lucérnæ ardéntes,
- ³⁶ et vos símiles homínibus
exspectántibus dóminum suum,
quando revertátur a núptiis,
ut, cum vénerit et pulsáverit,
conféstim apérianí ei.
- ³⁷ Beáti servi illi,
quos cum vénerit dóminus invénerit vigilántes.
Amen dico vobis,
quod præcínget se et fáciet illos discúmbere,
et tránsiens ministrábit illis.
- ³⁸ Et si vénerit in secúnda vigília
et si in tértia vigília vénerit
et ita invénerit,
beáti sunt illi».
- ³⁹ Hoc autem scitóte quia, si sciret pater famílias
qua hora fur veníret,
non síneret perfódi domum suam.

⁴⁰ Et vos estóte paráti,
quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis venit».

⁴¹ Ait autem Petrus:
«Dómine, ad nos dicis hanc parábolam
an et ad omnes?».

⁴² Et dixit Dóminus:
«Quis putas est fidélis dispensátor et prudens,
quem constitúet dóminus super famíliam suam,
ut det illis in témpore trítici mensúram?

⁴³ Beátus ille servus,
quem cum vénerit dóminus eius
invénerit ita faciéntem.

⁴⁴ Vere dico vobis:
Supra ómnia, quæ póssidet, constitúet illum.

⁴⁵ Quod si díxerit servus ille in corde suo:
“Moram facit dóminus meus veníre”,
et cóeperit percútere púeros et ancíllas
et édere et bíbere et inebriári,

⁴⁶ véniet dóminus servi illíus in die, qua non sperat,
et hora, qua nescit,
et dívidet eum
partémque eius cum infidélibus ponet.

⁴⁷ Ille autem servus,
qui cognóvit voluntátem dómini sui
et non præparávit
vel non fecit secúndum voluntátem eius,
vapulábit multas;

⁴⁸ qui autem non cognóvit et fecit digna plagis,
vapulábit paucis.

Omni autem, cui multum datum est,
multum quærétur ab eo,
et cui commendavérunt multum,
plus petent ab eo».

Verbum Dómini.